

ordo plane erit perturbatus, si vera ea sunt, quae dixi, non posse sequestrationem omnem contractuum generi, ideoque nec contractui depositi, ita subiungi, ut hic omnes sequestrationis formas comprehendat. Quamuis autem putem, in omni hoc genere, quo de locis, quibusuis doctrinis apte et concinne adsignandis, quaeritur, multa a multis magis anxie quaeri, quam quidem opus est, nec esse recipiendum illud, quod multi sibi persuadent, omnia, quae ad artem aliquam spectant, ita esse inter se connexa debere, ut cuius, quaestioni suus necessarius quasi locus tribuatur, ex quo si dimoueatur, totum quasi corpus non deformetur tantum, sed plane mutiletur, tamen puto, hoc non inutiliter quaeri: quid aptius in hoc genere sit, quid magis conueniat? Quare, licet multa sint in his rebus ordinandis arbitrio hominum relictas, multaque alia ratione bene collocata, alia ratione non apte coniuncta videri possint, tamen in hoc ipso arbitrio prudenter adhibendo opus est ratione quadam et conformatione. Quodsi igitur definiendum est, quo loco potissimum haec omnis de sequestratione quaestio tractari debeat, vel potius, quo loco apte illa tractari possit, puto, eam ex illo, quo de contractibus exponitur, transferendum esse ad eum locum, quo de iudiciis ordinandis agitur. Omnem enim hanc de iudiciis ordinandis doctrinam puto ita disponi posse, ut seiungantur ea, quae in omni iudicio omnino obueniant et necessario, aut certe secundum regulam obuenire soleant, ab iis, quae extraordinem et quasi inopinato eueniunt. Huius generis sunt contumacia, transactio, varia cautionum genera, (nam et stipulationes illae praetoriae, iudiciales, mixtae, huc pertinent) et cum aliis haec, de qua quaeritur, sequestratio, quam recte omnino illis stipulationibus perquam similem indicauit ANTONIVS SCHVLTIN-